

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Thomæ Gatakeri opinio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

jus: In Edomum conjicio calcæos
meos. h. e. Sic mihi serviunt, ut
mediastini, in quos conjicio calceos, ut
eos excipient & auferant. Sic Iohan-
nes Baptista faretur se indignum, qui
calceos domini asportet, h. e. mediasti-
ni officium illi exhibeat. Quam sen-
tentiam tum alii probarunt, tum
nuperrime vir eruditissimus Johan-
nes Braunius. Sed Thomas Ga-
takerus mavult ulterius abje-
ctiusque quiddam ea formula insi-
nuari, nimirum, quemadmodum
infimæ prorsus sortis servi calce-
os pulvere conspersos, sive luto
confuscatos emundabant & exter-
gebant, Davidem dicere, se ad
hoc, cæteroquin omnium vilissi-
mum abjectissimumque ministe-
rium, Idumæorum opera abu-
surum, ut eos quasi pro peniculo
habeat, quo calcei sui extergean-
tur.

XI. Ad servilem aliquem mo-
rem Davidem allusisse ego dubito
nullus. Cecinit enim hunc Psal-
mum, ut inscriptio docet, cum
Joabus imperator exercitus Edu-
mæorum octodecim millia cecidis-
set, post quam pugnam plane sunt

Q 2

do-

Braun. de
Vest. Sa-
cerd. Hebr.
pag. 59.
Gatak.
loc. cit.

364 De CALCEIS HEBRAOR.

domiti, neque tantum in Davidis potestatem, sed servitutem etiam redacti, uti narrat historia, quæ in libris Samuelis legitur. Et locavit præsidia in Edom, in tota Edomæa præsidia locavit, & omni Edumæi facti sunt Davidis servi. Servos olim hoc ministerio functos non apud Hebraeos tantum verum etiam Græcos atque Romanos, ut dominorum gestarent sandalia, res est notissima. Unde Plautus servos appellavit *sandaligerulos*, si vera est Jani Douzæ, viri nobilissimi, qui tamen plus ingenio quam natalibus debet, emendatio, qua pro *salutigerulos pueros*, legit *sandaligerulos*, hoc est, servos qui sandalia gestant, sicuti ancillas vocavit Plautus *sandaligerulas*, quæ sandalia dominorum servabant & gerebant. Ex quo veterum more videri possent viri eruditissimi optime explicasse hæc Davidis verba *super Edom projiçiam calceum meum*, quasi dicat tanquam vilibus servis calceos projiciam Edomæis, ut eos gestent, quod servorum est ministerium. Prout ex hac consuetudine expuerunt

2. Sam.
8. 14.

Plaut. in
Aulul.
Act. 3. sc. 5.

Trinumno
Act. 2.
sc. 1.